

TRACTATUS
DE LEGIBUS

D. Thomas, I^a II^a, a q. 90 ad 109.

DISSERTATIO I
DE LEGE IN COMMUNI

D. Thomas, qq. 90, 91, 92.

ARTICULUS I

Quid sit lex?

Dico : Lex recte definitur : « Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet promulgata¹. » Ita communiter cum Authore. Explicatur.

Dicitur 1^o *ordinatio rationis*, scilicet *practicæ* : per quod intelligitur actus imperii seu potius ejus terminus seu dictamen ab eo productum, quo superior præseribit aliquid faciendum vel omittendum. Intelligitur etiam *ordinatio efficax*, non quidem respectu operis præscripti, cum leges continuo violentur, sed respectu obligationis quæ afficit subditos, per quod distinguitur a consilio. Item intelligitur *ordinatio firma, stabilis et perpetua*, hoc sensu quod non desinat per mortem legislatoris, per quod

1. Hic q. 90, a. 4, o.

distinguitur a præcepto, nec feratur ad solos præsentés, sed etiam ad futuros, licet posset absolute desinere vel per revocationem, vel per mutationem materiæ, vel per cessationem finis adæquati.

Dicitur 2^o *ad bonum commune*. Finis enim legis est bonum commune: tum quia lex fertur pro communitate, ut dicam, quam dirigit in finem bonum et honestum, finis autem ille est bonum totius; tum quia finis debet respondere principio, principium autem legis est publica auctoritas. Ergo finis legis debet esse bonum publicum et commune. Et per hoc excluduntur mandata tyrannorum et alia quæ fierent in proprium et privatum commodum.

Dicitur 3^o *ab eo qui curam communitatis habet*: quia lex fertur pro tota communitate; sic enim apprehendit sensus communis, et in hoc distinguit legem a præcepto, quod unum vel alterum respicit, idque patet inductione. Lex naturalis omnes homines respicit; lex vetus totam gentem Judaicam; lex nova totum genus humanum; omnes leges humanæ, tam civiles quam ecclesiasticæ, ad communitates diriguntur. Ergo lex debet esse ab eo qui curam communitatis habet. Intellige communitatem perfectam, quæ est multitudo hominum sub gubernatione præsidis jurisdictionem politicam habentis.

Dicitur *promulgata*: quia non potest dirigere nec obligare, nisi per promulgationem innotescat. Utrum promulgatio sit de essentia legis, dicam modo.

Ex dictis *inferes*, legem esse aliquid rationis¹, præsupponens tamen actum voluntatis. Ratio primæ partis est 1^o quia, ut dictum est, definitur ordinatio rationis; 2^o quia ad legem pertinet præcipere et imperare, imperium autem est essentialiter rationis, ut probavimus dissert. III, *de Actibus humanis*, art. 4; 3^o quia lex est quædam regula et mensura actuum humanorum, regula autem et mensura actuum humanorum est ratio: unde *Psal.* cxviii leges

1. *Ibid.*, a, 1, o.

divinæ vocantur *judicia, sermones, eloquia*, quæ omnia pertinent ad intellectum. Ratio secundæ partis est, quia lex pertinet ad rationem practicam et consistit in actu imperii. Atqui imperium, quamvis sit elicitive ab intellectu, supponit tamen actum voluntatis, scilicet electionem, a quo habet vim et efficaciam movendi ad exercitium. Ergo. Confer *diss. cit.* Et hæc est ratio cur in Scriptura et in jure lex aliquando efferatur nomine voluntatis.

ARTICULUS II

Utrum promulgatio sit essentia legis?

Suppono aliquam promulgationem esse necessariam legi ut actu obliget: quia, ut dictum est, lex est regula actuum humanorum, et hi non possunt per illam regulari, nisi innotescat; innotescit autem per promulgationem.

Dixi, *aliquam promulgationem*, quia diversa est pro diversitate legum. Lex æterna¹ et naturalis promulgatur unicuique per rationis dictamen. Lex divina positiva promulgatur, vel per internam revelationem, ut in prophetis, vel solemniter, ut lex vetus in monte Sinai, lex nova in die Pentecostes. Usus autem obtinuit ut lex humana semper promulgaretur cum aliqua solemnitate, et ita ratio exigit. Cum enim legislator humanus gerat duplicem personam, privatam et publicam, ita debet proponere legem, ut significet se eam proponere ut personam publicam, quod fit adhibita aliqua solemnitate.

Si *dicas*, ad revocationem legis non requiri promulgationem, *resp.* revocationem legis non esse legem, sed legis destructionem. Plus autem requiritur ad rem consti-

1. Lex æterna, ut talis, non promulgatur, sed recondita remanet in mente divina. Si vero extra mentem divinam prodeat et creaturis rationalibus per lumen intellectuale communicetur, tunc ipsis est lex naturalis, et sic considerata unicuique per rationis dictamen promulgatur.

tuendam, quam ad destruendam. Pro responsione ad quæst.

Dico : Probabilius videtur promulgationem non esse de essentia legis, sed esse conditionem dumtaxat insupplebiliter requisitam ut actu obliget, sicut, v. g., propositio objecti est conditio insupplebiliter requisita ut ametur.

Probatur. Ad essentiam legis sufficit quod habeat aptitudinem ad dirigendum et obligandum; essentiae enim rerum per actum primum seu aptitudinem, non per actum secundum definiuntur, ut docent philosophi. Atqui lex ante promulgationem habet aptitudinem ad dirigendum et obligandum; non enim ex promulgatione habet hanc aptitudinem, sed actualem directionem et obligationem tamquam a conditione. Ergo.

Confirmatur. Lex est regula qua inducimur ad agendum, vel retrahimur ab agendo, cum aliqua obligatione. Atqui promulgatio non est regula, neque pars regulæ, neque ab illa tamquam a causa procedit vis obligandi, seu obligatio actualis, quippe quæ debet esse a superiore ut a causa, sed tantum tamquam a conditione: sicut calefactio non est ab approximatione tamquam a causa, sed ab igne, licet pendeat ab approximatione tamquam a conditione.

Quantum ad D. Thomam, de cujus mente litigatur, docet hic a. 4, quod promulgatio se habeat ad legem sicut applicatio regulæ ad regulatum; applicatio autem regulæ non est de ejus essentia, sed supponit illam constitutam. Unde, dum *ibid.* dicit quod, ut lex virtutem obligandi obtineat, debeat promulgari, intelligit de virtute obligandi in actu secundo, non in actu primo.

[Ita Billuart. Ulterius vero progrediens et quæstionem restringens ad legem positivam, sive divinam, sive humanam,

Dico : Promulgatio est de essentia legis.

Probatur. 1º Illud sine quo aliquid esse suum non habet, ad ejus essentiam pertinet. Atqui ante promulgationem lex esse suum non habet. Ergo promulgatio ad essentiam

legis pertinet. — Prob. min. Quod est tantum in potentia, esse non habet. Atqui, quamdiu lex non est promulgata, est tantum in potentia. Ergo tunc esse suum non habet. — Minor est evidens; nam quamdiu lex non est promulgata, sive maneat recondita in mente legislatoris, sive legislator exterius manifestaverit suam intentionem ferendi talem legem, non percipitur nisi simplex propositum. Atqui hoc propositum non est lex, sed tantum præparatio legis, et præparatio ducit quidem rem ad esse, sed, donec actus ultimus ponatur, relinquit eam in potentia. Ergo, quamdiu lex non est promulgata, est tantum in potentia.

2º Lex non est plene constituta, id est non est vera lex, nisi habeat vim obligandi. Atqui lex vim obligandi obtinet promulgatione, et non aliter. Ergo, donec promulgetur, non est vera lex. — Subsumo. Illud sine quo lex non est vera lex ad ejus essentiam pertinet. Atqui lex non est vera lex ante promulgationem. Ergo promulgatio est de essentia legis.

3º Lex est ordinatio rationis ad bonum commune. Atqui non est talis, nisi communitati intimetur, et hæc intimatio est promulgatio ab eo facta qui curam communitatis habet: unde promulgatio in definitione legis continetur. Ergo promulgatio est de essentia legis; nam definitio essentiam ipsam exprimit.

4º Idem probatur autoritate S. Thomæ, hic q. 90, a. 4. De mente Magistri in hoc loco fuit litigatum. Quidam dicunt cum nostro Billuart: S. Thomas dicit quod promulgatio se habeat ad legem sicut applicatio regulæ ad regulatum. Applicatio autem regulæ non est de ejus essentia, sed supponit illam jam constitutam. Ergo S. Doctor non ponit promulgationem in essentia legis, sed pronuntiat tantum eam esse conditionem *sine qua non* ut lex obliget. — Si recte perpendantur verba Angelici, ejus mentem contrariam esse clare perspicietur. Loco citato quæstionem sequentem solvit: « Utrum promulgatio sit de ratione legis? » In capite objectionum propositio negativa legitur: « Videtur quod promulgatio non sit de ratione legis; » unde quisquis methodum authoris intellexit, statim concludere

debet eum propositionem contradictoriam propugnatorum esse, scilicet quod promulgatio sit de ratione seu de essentia legis. Et quidem, allegato in arg. *Sed contra* hoc tritissimo axioma juris: «Leges instituuntur cum promulgantur,» quod propositioni nostræ æquivalet, sic procedit in corpore articuli: «Lex imponitur aliis per modum regulæ et mensuræ. Regula autem et mensura imponitur per hoc quod applicatur his quæ regulantur et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem. Et sic ex quatuor prædictis potest colligi definitio legis, quæ nihil aliud est quam quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata.» Definitio hæc est conclusio totius articuli, et postquam legem descripsit in se et quantum ad subditos, quorum actiones non potest regulare et mensurare, nisi eos attingat per promulgationem, S. Thomas hanc promulgationem ponit in definitione legis. Atqui promulgationi hunc locum non assignasset, si eam ut essentialem legi non habuisset. Ergo ut talem eam habuit.

Confirmatur axioma juris supra relato, dist. 4, cap. 3: «Leges instituuntur cum promulgantur,» ubi promulgatio legis traditur ut ipsius institutio. Ergo ex promulgatione lex accipit quod sit vera lex. Ergo promulgatio est de essentia legis. Et hoc insinuatum est a Justiniano dicente, c. *de Legib.*, in leg.: «Leges sacratissimæ intelligi ab omnibus debent, ut universi, præscripto earum manifestius intellecto, prohibita declinent et faciant præcepta.»

Dices: Lex obligat, non solum eos quibus jam innotuit, sed et eos qui illam ignorant, ut patet in legibus irritantibus contractus, quæ suum producunt effectum etiam erga eos quibus sunt prorsus incognitæ. Ergo promulgatio non est necessaria ut lex obliget. Ergo consequenter non est de essentia legis.

Resp. Nego conseq. Aliud est enim legis divulgatio, aliud ejus promulgatio, ut notant Salmanticenses, cap. 1, n. 74. Ad divulgationem requiritur ut lex cuilibet subdito personaliter innotescat, ad promulgationem vero sufficit ut communitati generaliter fuerit notificata, ita ut quilibet privatus facile possit eam cognoscere. Porro virtutem intrinsecam obligandi lex non accipit ex divulgatione, sed ex promulgatione, ita ut statim ac communitati fuit intimata, omnes subditos saltem in foro externo obstringat, cum omnes juridice censeantur eam non ignorare. Distinguendum est inter leges irritantes, quibus subditi, etiam inscii, in utroque foro redduntur inhabiles ad actus determinatos, propter motivum boni publici, et leges quæ actus quosdam illicitos efficiunt et conscientiam ligant. Posterioris generis leges sunt veræ leges, cum fuerint communitati intimatæ et erga omnes vim suam obligatoriam habent. Si vero fuerint insufficienter divulgatæ, ita ut aliquibus non innotuerint, quamvis etiam erga hujusmodi subditos cunctis dotibus veræ legis gaudeant, non tamen eos in foro interno ligant, quia isti versantur in ignorantia invincibili, quæ a peccato formali excusat, et respective ad eos tales leges haberi debent ut non promulgatæ. Et in hoc sensu intelleximus principium: «Lex dubia, lex nulla,» in dissertatione nostra *de Probabilismo moderato*].

Petes utrum lex sufficienter promulgata obliget omnes etiam illam invincibiliter ignorantes.

Resp. probabiliter affirmative: quia 1º lex in promulgatione non dirigitur ad solos præsentis, sed etiam ad absentes. Ergo eos etiam comprehendit. 2º Quia, si privatus fide dignus denuntiet absenti legem sufficienter promulgatam, ille tenebitur legem observare, et peccabit illam transgrediendo. Atqui hæc obligatio non oritur ex illo privato denuntiante. Ergo ex lege promulgata. Ergo ante denuntiationem obligabat.

Attamen omnes concedunt ignorantes invincibiliter excusari a culpa et a pœna, transgrediendo legem; sed,

si esset lex non solum prohibens, sed etiam irritans aliquem actum, actus etiam in ignorante invincibiliter esset invalidus, ut, v. g., matrimonium clandestinum in locis in quibus est sufficienter promulgatum Tridentinum.

ARTICULUS III

Quinam possunt ferre leges?

Dico 1^o: Potestas legislativa competit communitati vel illi qui curam communitatis gerit¹.

Probat. Illius est condere legem, cujus est prospicere bono communi; quia, ut dictum est, leges feruntur propter bonum commune. Atqui est communitatis, vel illius qui curam communitatis habet, prospicere bono communi; sicut enim bonum particulare est finis proportionatus agenti particulari, ita bonum commune est finis proportionatus communitati, vel ejus vices gerenti. Ergo.

Verum, quia hæc potestas gubernativa et legislativa non potest facile exerceri a tota multitudine, difficile namque foret omnes et singulos simul convenire toties quoties providendum est de necessariis bono communi et de legibus ferendis, ideo solet multitudo transferre suum jus, seu potestatem gubernativam, vel in aliquos de populo ex omni conditione, et dicitur *democratia*; vel in paucos optimates, et dicitur *aristocratia*; vel in unum tantum, sive pro se solo, sive pro successoribus jure hæreditario, et dicitur *monarchia*.

Hanc potestatem legislativam in Christianos, maxime justos, denegant Ecclesiæ Lutherani et Calvinistæ, in hoc secuti Valdenses, Wiclefum et Joannem Hus damnatos in concilio Constantiensi. Contra quos

Dico 2^o: Datur in Ecclesia Christi potestas legislativa.

Probat. 1^o traditione. Ipsi Apostoli, *Act.*, xv, 28 et 29,

1. *Ibid.* a. 3, o.

tulerunt legem de abstinendo a suffocato et ab immolatis simulacrorum. Et *ibid.*, 41, dicitur de Paulo: *Perambulabat... præcipiens custodire præcepta Apostolorum*. Ex quo intelligitur hanc legem Apostolorum non fuisse directivam tantum, ut fingunt hæretici, sed etiam præceptivam. Ab Apostolis usque nunc, Ecclesia per SS. Pontifices et concilia condidit leges quas venerati sunt omnes fideles.

2^o ratione. Ecclesia Christi est respublica bene ordinata; non enim ei deficit in aliquo Christus. Atqui in omni republica bene ordinata debet esse pro circumstantiis et necessitatibus emergentibus potestas legislativa: alias corruet. Ergo.

Hæc autem potestas residet in summo Pontifice et conciliis generalibus legitime congregatis, pro tota Ecclesia; in legatis, pro provinciis suæ legationis; in episcopis, de consilio capituli, pro sua diocesi; in conciliis nationalibus et provincialibus, pro natione vel provincia; in comitiis generalibus ordinum religiosorum, pro toto ordine.

[*Obj.* 1^o: Vel Christus sufficienter providit suæ Ecclesiæ, vel non. Secundum dici nequit. Si primum, ergo superfluum leges humanæ.

Resp. Christum sufficienter providisse suæ Ecclesiæ condendo leges essentielles et relinquendo Ecclesiæ ipsi potestatem condendi eas quæ e prioribus oriri debent, prout judicaret bono communi expedire pro circumstantiarum, personarum et locorum exigentia. Patet enim hanc potestatem necessariam esse Ecclesiæ, ut populum christianum convenienter possit regere.

Obj. 2^o ab hæreticis et maxime a Protestantibus: Ecclesia est collegium quoddam in imperio et sub potestate vel superioritate territoriali existens. Atqui collegium quodcumque non habet jus condendi leges, sed subest legibus imperii; repugnat enim esse in eadem republica duos summos legislatores. Ergo.

Resp. *Nego* maj. 1^o Ecclesia est societas, civitas et regnum perfectum, ut in sacris litteris et a Patribus describitur. Hæc societas non coarctatur limitibus unius

imperii civilis, sed universum orbem complectitur, quia Christus venit in mundum ut omnes homines salvos faceret, I *Tim.*, II, 4. Unde Ecclesiam suam ubique diffusam unam esse voluit, et hanc consociationem iisdem vinculis necti atque jugari in his quæ sive ad fidem sive ad mores pertinent. Voluit insuper eam esse perpetuam, ac duraturam esse promisit usque ad consummationem sæculi, *Matth.*, XXVIII, 20. Quæ omnia non patiuntur angustias et instabilitatem imperiorum temporalium. 2° Collegia institui non possunt sine venia principis, qui potest ea suppressere, si eorum res et fines ad genus rerum illi commissarum pertineant. Atqui Ecclesia fuit instituta, non solum absque venia principum, sed ipsis contradicentibus et eam destruere conantibus, et res quas curat ad genus rerum principi commissarum non pertinent. Ergo sub autoritate principis non constituitur. 3° Equidem non possunt coexistere in eadem republica duo summi legislatores, supposito quod utraque potestas in eodem genere versaretur et ejusdem rei procuracionem haberet. Sed utriusque potestatis civilis et ecclesiasticæ genus omnino differt, quia differunt omnino res utrique commissæ. Hæc nimirum res sacras atque divinas curat, ac spiritualibus et æternis fidelium commodis invigilat; illa, civilem societatem gubernans, terrestribus et temporalibus civium commodis studet. Utraque ergo in rebus suis est summa, utraque partes suas habens. Unde falso asseritur statum in statu constitui, si Ecclesia in suo ordine potestatem legislativam sibi vindicet. Hinc aiebat Hieronymus, Ep. 77, ad Ocean., n. 2: « Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. » Et Gelasius papa, in can. *Duo sunt*, dist. 96: « Duo sunt quibus principaliter hic mundus regitur, autoritas sacra pontificum et regalis potestas. »]

Dico 3°: Potestas legislativa non pendet a probitate vitæ. Unde ea pollet omnis princeps, tam sæcularis quam ecclesiasticus, sive bonus sit, sive malus.

Probatur. Christus ipse, *Matth.*, XXII, 21, jussit tribu-

tum solvi Cæsari, principi ethnico. *Ibid.*, XXIII, 2 et 3, jubet obedire Scribis et Phariseis secundum legem præcipientibus, quamvis malis et improbis. Apostolus, *ad Rom.*, XIII, 4 et 5, docet principes, etiam infideles, esse *Dei ministros*, ipsisque parendum esse, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Idem, *ad Tit.*, III, 1, et I *Petr.*, II, 13-15. Unde jure damnatæ sunt sequentes propositiones in concilio Constantiensi, prima sess., 8: « Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali. » Est 13 Wicleffi. Altera, sess. XV: Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus. » Est 12 Joannis Hus.

Petes quotuplicis generis sint leges.

Resp. esse quadruplicis generis¹. Alia est æterna; alia naturalis; alia divina positiva, et hæc duplex, vetus et nova; alia humana, et hæc iterum duplex, ecclesiastica et civilis.

DISSERTATIO II

DE LEGE ÆTERNA ET NATURALI

D. Thomas, qq. 93 et 94.

ARTICULUS I

De lege æterna

[*Petes* 1° an detur in Deo lex æterna.

Resp. affirmative et probo². Lex nihil aliud est quam dictamen rationis practicæ in principe qui gubernat aliquam communitatem perfectam. Atqui tale dictamen est ab æterno in Deo, tamquam in principe gubernante totam

1. Hic q. 91. — 2. Hic q. 91, a. 1, o.